



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 429. Usque Ad Annum 483

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117816**

§. 12. Procli obitus. Flavianus Episcopus Constantinopolitanus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66052](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66052)

Sæculum V. tur. Declarat, Metropolitæ pro lubin  
 A. C. 447. suo absque Cleri, & populi consensu Episcopum ordinandi potestatem non esse.  
 Hæc Epistola octavo Idus Jan. Aetio & Symmacho Consulibus, id est, sexto Jan. anno 446. data.

## §. XII.

*Procli obitus. Flavianus Episcopus Constantinopolitanus.*

*Men. Græc. Niceph. Chr. Sup. XXVI §. 30.* Proclus e vivis abiit 24. Octobr. anno 447. postquam in Cathedra Constantinopolitana annos tredecim, & Menses tres sedisset. Successorem habuit Flavianum Presbyterum, & ejusdem Ecclesiæ Thesauri Custodem. Hæc Electio Chrysaphio, Evnucho, Cubiculariis Prefecto, qui Flavianum oderat, displicuit. Is Imperatorem excitavit, ut a Flaviano Eulogias in grati animi signum pro Beneficio Ordinationis suæ peteret; misit Flavianus panes candidos in Benedictionis signum. Chrysaphius, aliud Benedictionis genus cogitans, misit, qui Episcopo dicerent, aurum a se expectari; respondit ipse, nullum sibi esse aurum, nisi Sacra Vasa; Ecclesiæ vero Bona non sua esse, sed Dei, & sublevandæ pauperum inopiæ destinata. Exinde Chrysaphius propositum cepit, nihil intentatum relinquere, quo Flavianum Episcopali Sede

*Niceph. hist. XIV. 47. v. Garn. diff. de lib. Theod. ad ep. 11.*



de deiceret; cum vero sciret, Episcopi <sup>Sæculum V.</sup>  
 fortunam favore Pulcheriæ, quæ tota <sup>A. C. 447.</sup>  
 Auctoritate potiebatur, fulciri, visum si-  
 bi, primas machinationes eo dirigendas,  
 ut Fœmina ab Imperii Gubernaculo re-  
 moveretur. Ergo Eudociæ, uxoris ejus  
 opera usus, Imperatori persuasit, ut a  
 Flaviano postularet, Pulcheriam Diaco-  
 nissam ordinari. Imperator accersito E-  
 piscopo, quid ab ipso peteret, secreto in-  
 dicavit; offendit inexpectata postulatio  
 Flavianum, sed presso in præsentia Im-  
 peratoris dolore, deinde nemine conscio  
 ad Pulcheriam scripsit, ut præsentiam  
 suam ubique caute devitaret, ne facere  
 cogeretur, quod sibi, & illi invisum  
 foret. Intellexit Pulcheria, quid agere-  
 tur, & ad Hebdomon se recepit. (\*)  
 Theodosius, & Eudocia Imperatrix im-  
 patientissime tulerunt, quod Flavianus  
 arcanum Pulcheriæ aperuisset. Hæc  
 jurgiorum initia fuere.

## §. XIII.

*Theodoretus relegatur.*

Ubi Theodoretus Ordinationem Fla- <sup>Epist. II.</sup>  
 viani rescivit, eidem, data Epistola,  
 gratu-

(\*) Est Ecclesia. Quod pertinet ad Pulche-  
 riam Diaconissam ordinandam, Tillemontius in  
 Nota ad hunc locum multa affert, quibus pro-  
 bare conatur, hoc factum non esse verosimile.